

V c
2106



h-2



OK. 21,7.
2-21,7.

28

Vc
2106

BERNARDI
ZIERITZI
BRANDEBURGENSIS JC.

Discursus Apologeticus

PRO CELEBRI FOEDERE SMALCAL-
dico, & principibus Sociis, aduersus quosdam
Historicos-Criticos.

Eadem agitur in mundo fabula mutatis personis.



FRANCOFVRTI AD MOENVM,
Typis Wecheliani, Apud Danielelem & Daudem Au-
brios, & Clementem Schleichium.
ANNO M. DG. XXV.

1334.







DISCVRSVS APOLOGETICVS

Pro Fœdere Smalcaldico.

I.



ERE quidem Cr. Sallust. Epist. 2. ad Caium Cæsarem de Re-
publ. ordin. fere in fin. ait: Viuos interdum fortuna, sæpe inui-
dia fatigat: vbi anima naturæ cessit, demtis obtreçtatoribus, i-
pse se virtus magis magisque extollit.

II.

At nostri seculi (proh dolor) tanta partim est malitia, partim incuriosi-
tas, vt non tantum viuos inuidia fatiget, sed & defunctos eosque optime de
Ecclesia & Republica meritos liuor nonnunquam pessime suggillat, aut ve-
ritatis ignorantia citra etiam maledicendi affectum male perstringat.

III.

Non tantum priuatis hominibus id vsu venire, sed & Principes ac Ma-
gnates, imo etiam Imperatores ac Reges, de quibus parum & reuerenter lo-
quendum est, huic malo obnoxios fuisse, perpetua historiarum monumen-
ta loquuntur.

IV.

Generosos tamen Principes nonnullos leones, qui canum latratus, à
quorum morsibus securi sunt, nihili pendunt, sed eos tanquam innocuos
magno & heroico animo contemnunt, imitatos fuisse constat.

V.

Quo affectu Titum Vespasianum, amorem illum ac delicias generis hu-
mani præditum fuisse constat: quem dixisse accepimus, Bonum Principem
iniuria affici non posse.

VI.

Et notatu non est indignum Friderici Cæsaris III. huius nominis ver-
bum heroicum: cum enim nonnullos dicta probrosa & iniuriosa in Cæsare-
am Maiestatem profudisse, aulici referrent, nihil plane commotus Impera-
tor respondisse dicitur; Principes & alios præstantes Viros, quasi signum, ad
quod omnes virulentæ linguæ tela conjicerent, expeditos esse, non sic ac
turres præaltas fulmina feriant, homilia recta prætereant, & bene nobiscum,
addidit, agitur, cum verbis tantum impetitur.

VII.

Peius vero ab omnibus Sapientibus iudicatum fuit mortuos iniuria af-
ficere. Defunctum non male dictis afficias, sed beatum prædices, chilonis La-
cedæmonii præceptum merito laudatur.

Gg 2

VIII.

Facilius est mouere quietum, quam quietare motum, vt habet inscriptio sigilli Platonici. An non lepores etiam barbam aut iubam Leonis mortuivellere audent?

IX.

Pium vero est & ingenui hominis veritati candide & Syncere absque vlla. dissimulatione testimonium præbere, Principum & Ducum, qui cum vitæ & bonorum periculo veræ Religionis & patriæ susceperunt patrocini-um, existimationem vindicare, vt lampades illæ odorem liquoris, quo viuen-tes & fulgentes infusæ erant, etiam diu postquam occiderunt, retineant.

X.

Vt enim laude indignum est Principum & magnatum malefacta aliqua iuris vmbra prætexere velle *Crantz. 13. Saxon. 13.* Ita, quando eorundem be- nefacta sinistre iudicantium calculis improbantur, opera profecto danda est, ne sera posteritas siue falsis relationibus siue nimia veritatis dissimulatione aliquando decipatur.

XI.

Celebre illud Smalcaldicum fœdus anno 30. inter Iohannem Electro-rem Saxon. Philippum Hassiæ Landgrauium aliosque socios initum pro illi- cito, impio, & inconcesso, pro perniciosa improborū ciuium aduersus patriam. nulla iusta de causa arma capientium coniuratione, pro præsidio non conces- so, ex audacia prognato & polypragmosyne quadam censerit, publice ac priua- tim notari, mirandum ac deplorandum est.

XII.

De Iohanne quidem Bodino id minus admirationem meretur, de quo idem quod de Ludouico Auila Albertus Marchio Brandenburgicus anno 1552. publico scripto conquestus est, dici iure optimo & verius fortasse potest, eum nimirum de Germanis & tota Germania tam frigide tam contemtum & alie- ne loqui, ac si barbarus quispiam esset populus & obscurus, de cuius origine vix constaret.

XIII.

Habet quippe Bodinus, cuius odium in Germanos plus quam vatiniā- num multoties innotuit, præsumptionem contra se, quod hac etiam in parte vt sæpe alias factum, Principibus Germaniæ ire voluerit detractum.

XIV.

Minus etiā de Laurentio Surio, minus de Authore Autonomiæ (siue sit Erstenbergerus, vt cum Anton. Possuino Iesuita Amedeus de Ponte voluit; neque enim video, quid inde lucri vel damni siue nobis siue Pontificiis acce- dat) siue Burckhardus, quorum ab illo fœdus hoc rusticorum seditioni æ- quiparatur,

quiparatur, ab isto calumniose & virulenter Ein Schmalkalberischer / Französi-
scher pestilenzischer Bund / freystellung der Religion freystellionatus nominatur:
Minus de illis, quibus Religionis diuersitas & sacer denarius iudicia & consi-
lia corruptit. Omnequidem præiudicium tollit iudicium.

XV.

Magis vero admirandum est Peucero Richtero, & aliis eorundem sac-
centurialis magis de seculi nostri Historico. Criticis Anonymis, qui in re haud
adeo perplexa nodum quod aiunt, in scripto quærunt, inter quos nonnulli a-
deo infensi, vt etiam si penes se esset, ipsam Smalcaldiaë urbem iuxta *περὶ ἀρεῶν*
Caroli V. qui tamen exoratus à laudatissimo Mauritio pepercit, ob fœdus
hoc ibi initum solo æquarent. Spangenh. in Chron Henneb. lib. 5. cap. 53.
Warem de Erenb. 2. meditam. pro fœder. p. 146.

XVI.

Omnibus illis solide respondit & ex principiis ac fundamentis Histori-
cis tum Actis etiam (vt vulgo loquuntur) & Actitatis satisfecit D. Fridericus
Hortledderus, ita vt in hoc genere aliquid post eum tentare nihil aliud videri
fortean possit quam Iliada (quod aiunt) post homerum. Spicilegium saltem
aliquod periclitari iuuat, non quod causæ bonitas satis superque defensa id
requirat, sed vt veritatis lux magis magisque etiam refractariis innotescat. Id-
que paucis: Nam *εὐώνυμον εἰς δίκαν τρία ἔτια διαρκέσει*, iuxta Pindarum.

XVII.

Recte vero Natalis Comes reprehensionem incurrit (familiare quippe
est Transalpinis in rebus Germaniæ describendis hallucinari) quod originem
huius confœderationis ad annum 34. referre ausit. Rectius iuxta Sleida-
num & alios anno 30. iustam entelechiam accepit, cum anno 26. in comitiis
Spirensibus & vicissim anno 29. ibidem, insuper etiam Noribergæ & in con-
uentu Suabacensi eodem anno *περὶ βουλευματα* saltem fuissent jacta & facta.

XVIII.

Causa *περὶ καταρκπη* huius fœderis non fuit *πλυπραγμοσύνη*, non super-
bia, non contumacia, multo minus Rebellio fœderis sociorum, sed potius ad-
uersæ partis insolentia, minæ, veritatis oppressio, Henrici Bruns Wicensis
iniuriæ, inuasiones, incendia, & metus omnino talis qui in constantissimum
quemque cadere potuisset. Non solus enim Lutherus erat proscriptus, sed
qui quocunque modo ei fauerent aut operam suam communicarent.

XIX.

Rigor etiam Decreti Spirensis anno 29. quo Missa & alii papistici ab-
soluti & secus facientes proscriptorum numero habiti sunt, Augustani
anno 30. quo orthodoxa dogmata pro pecuinis & in DEVM contumeliosis
proclamata, rejecta, & palam dissentientibus protestantibus minæ intenta-

tæ etiam vsque ad sanguinis profusionem cunctantibus adhuc plane id ex-
torquebat.

XX.

Religionis ac veræ doctrinæ defensionem fundamentū fœderis atque
causam in conuentu Suabacensi professi sunt Elector Saxoniæ & Georgius
Brandenburgicus: Cuius vtriusque probitatem ac pietatem non tamen Ger-
mani sed & inimici sunt admirati.

XXI.

Fœderum Sanctitas & iurisiurandi Religio, & pactorum conuento-
rum fides inter bonos firmissima sunt vincula, inter malos oblata commodi-
tate ad fallendum retia ait Buchan. 14. Rer. Scotic. Non tamen negari potest
Georgium Brandenburgicum postea sententiam mutasse, & à fœdere certis
quidem causis abstinuisse.

XXII.

Renouatum est & amplificatum fœdus pro Augustanæ Confessionis
assertione anno 35. Smalcaldiæ: nec non anno 36. ibidem: fuit defensionum
non offensuum: ac omnino tale fuit, vt confœderati non Cæsari tantum,
sed omnibus etiam indifferenter, si sit opus, ABSQVE PVDORE formulam
fœderis se exhibere posse anno 37. Cæsareo Legato responderint.

XXIII.

Ecquid Germanum, ecquid candidum, ecquid apertum magis dici po-
test quam aduersæ parti causæ suæ fundamenta (quod in priuatis etiam rebus
aduocatus clienti haud suaderet (offerre? Candor hic Germaniæ contra Ita-
liæ & Hispaniæ fucum si non hoc seculo, at profecto apud posteros imo et-
iam hostes erit admirationi.

XXIII.

Quid vero aduersa pars ad insignem hanc oblationem? Irritati saltem
crabrones: at clanculum, & ad tempus cohibiti, mox tamen aculeis suis vsuri!
Damnare nimirum maluerunt dissimulanter inexploratum, quam explore
diligenter haud condemnandum.

XXV.

Neque temere sed re multum diuque deliberata initum fuit fœdus,
in consilium adhibitis cum Theologis, tum Iureconsultis, quorum illi ini-
tio certaminis haud licere existimantes postea tractu temporis re diligentius
excussa cum Iureconsultis affirmatiuam sunt amplexi, inque illa sententia fir-
miter perseuerarunt, vt merito Alberic. Gentil. Luthero inconstantiam ob-
ijciens sit reprehendendus: δευτέρα γὰρ φρονίδια σοφότερα.

XXVI.

Sleidani fidem & diligentiam non tantum Colaces aduersi in dubium
vocant sed & nonnulli nostris partibus addicti. Verum Historici illius lon-
ge

longe maximis laboribus iniquam referri gratiam vtriusque partis conscientia si veritatem amant iamdudum testantur & si non publice at priuatim tamen semetipsas accusant & conuincunt.

XXVII.

Quomodo quaeso Historicus qui tantas Religionis mutationes, quanta post Apostolorum aetatem nulla fuit, eamque secutas Politiae ciuilis commotiones describit, omnibus placere potest? Apologia profecto Sleidani mihi tanti est, vt nihil inueniam cur optimis & fide dignissimis Historicis eum cum Melanchtone, Camerario, Sturmio, Tilemano, Hortleddero & aliis non accenseam.

XXVIII.

Idque multo magis cum publicis Imperii actis & ipsa Historia & Apologia omnino aut maxima ex parte correspondeat. Haud sufficit perpetua aduersariorum argumentis tamen destituta contradictio: Quin potius edant illi alia (Si possunt) Acta ex Imperii Archiuis.

XXIX.

Scio Cochlaei, Surii aut aliorum Sinonum Sectatores aliquid contra Sleidani fidem & auctoritatem opponere & velle, & non nihil posse. Verum vicissim etiam sciant, Historiam quidem omnium oculis expositam esse, sed non omnes esse etiam idoneos ad eam dijudicandam.

XXX.

Idea omnium perfectionum in Caelo hausit & etiamnum haeret: Adeo non facilius est inuentu perfectus Historicus, quam Respublica, Rex, Orator, Dux, Aulicus, legatus, ita vt à Platone, Xenophonte, Cicerone, Onofandro, Castilionæo, Tasso, & aliis definiuntur.

XXXI.

Nam quemadmodum perfectiones Historici variae in variis notatae sunt, ita nemo vnus repertus est, in quo cuncta simul deprehenderentur, ait scite Petr. Matth. in admonit. operi Historicopolit. praefixa.

XXXII.

Quod si obiiciunt, aliquid tamen omisisse Sleidanum, respondendum est maluisse ipsum reprehendi quod pauca, quam poenitere quod nimia dixerit.

XXXIII.

Ex capitibus & Articulis Foederis Smalcaldici necessum est probent aduersarii fuisse foedus hoc nefarium, impium, & cum rebellione Coniunctum: verum haecenus illud neque probare voluerunt neque potuerunt.

XXXIII.

Idque multo magis cum ante certamen non saltem sint oblata ad De-

Gg,

fensi-

DISCVRS. APOLOGET.

• fensionis probationem, sed etiam constet victoria ab aduersariis obtenta, ista documenta in manus eorum venisse.

XXXV.

Victoriæ nimirum perpetuo comes est Veritatis suppressio, victæ partis extenuatio, causæ propriæ exornatio, & tantum non id velle quod lubet.

XXXVI.

Anno 33. legato Pontificio & Cæsareo de Concilio Saxonem sollicitantibus responsum fuit liberaliter: se quidem sic acturum esse DE I beneficio, vt non solum hæc ætas, sed & posteri videant, omnium verum se nihil magis optasse, quam vt pura doctrina religioque & pax non Germaniæ tantum sed & totius Reipubl. Christianæ floreat, & Cæsari supremo Magistratui suos honos atq; dignitas constet. Vbi hic crimen læsæ Maiestatis?

XXXVII.

Inter Capita fœderis quod anno 1536. cum Rege Angliæ Smalcaldiæ primum, deinde Francofurti fuit tractatum, Defensio Augustanæ confessionis & puræ Euangelii doctrinæ propagatio fuit primum. Imperium vero & Cæsarem cui essent fide atque iureiurando deuincti, clavis verbis exceperunt. Vbi etiam hic Rebellio? vbi Crimen proscriptione dignum?

XXXVIII.

Concilii Recusationem Imperatorem & pontificem valde offendisse, luce meridiana clarius est: eamque belli causam esse priuatim haud dissimulant in colloquiis cum Protestantibus Ferdinandus Rex, Granvellanus, Nauis, nec ipse Pontifex in scripto publico anno 46. emisso. Verum non simpliciter omne concilium, sed tale recusarunt, vbi non secundum verbi diuini præscriptum ageretur, vbi Pontifex atque socii aliis piis atque idoneis hominibus exclusis soli iudicandi prouinciam sibi sumerent, & vbi à Tyrannide pontificia foret metuendum. Num bene? Imo iure optimo.

XXXIX.

Quale Concilium Papæ cum Cardinalibus suis optarint, voluerint, apud Cæsarem, Ferdinandum, & Catholicos Principes post multam cunctationem postularint, satis luculenter apparet ex Lutheri Tomo VII. & quidem libr. de concil. Recte profecto si verum amamus scripsit Lutherus, Papam multa polliceri, pauca præstare: Recte cum eodem Rex Angliæ, Papam Concilii sui indictione totem orbem ludificare. Rectissime Protestantes: Malle Pontificem & Episcopos omnem Religionem aboleri potius, quam emendationem admittere.

XL.

Adrianus VI. Pontifex in comitis. Noribergæ anno 1523. habitis corruptelas quidem Romanas aperte profitebatur, promittens etiam operam suam

suam, vt imprimis emendarentur hæc omnia: Clemens vero VII. & Paulus III. prædecessoris confessione haud obstricti præiudicio quodam suam Religionem condemnabant.

XLI.

Ita Concilium Papæ inconstanter modo flagitabant, modo promittebant, modo suspendebant, modo recusabant, vt recte scripsit Lutherus, quem acrem medicum, sicut Erasmus Roterodamus memoriæ mandauit DEVS huic postremæ ætati propter multitudinem morborum dedit.

XLII.

Concilio conditiones à Clemente VII. propositæ eius erant generis, vt satis appareret, eum nolle nec posse liberam cognitionem ferre: Paulus vero III. etsi concilium promittebat, tamen de forma, deque modo tractari nolebat. Quid vero hoc aliud est nisi altera manu quid dare, altera datum repetere? quid aliud nisi omnia agere per dolum & imposturam & sub nomine Concilii veram doctrinam delere ac damnare?

XLIII.

Concilio authoritatem nimirum subdole vrgebant, at interim publice impudenter obiiciebant, Protestantes damnatas iam olim hæreses excitare, vel esse Sandapilarios veterum sectarum tories iam damnatarum dogmata effodientes: neq; iccirco opus esse disputatione vel ampliori cognitione. Quid hoc aliud est, nisi Reum ad defensionem velle admittere, at interim tamen eum inauditum condemnare? Ad priscam potius puritatem & libertatem Concilium promissum debuisset reuocari.

XLIV.

Quod si sine prædictis conditionibus Concilii authoritati Protestantes sese submisissent, quod vnice vrgebat pars aduersa Thuan. 2. histor. an non ipso statim facto Religionis suæ confessionem desertum ijsset, quicquid etiam protestando re iam non amplius salua voluissent in medium afferre?

XLV.

Recusatio itaque illa Concilii suspecti & illegitimi & non Christiani (quam tamen vnicam causam præ aliis omnibus aduersarii admodum vrgebant) nequaquã sufficit ad proscriptionem vel bellum: Quot enim Episcopi (si annales Ecclesiasticos consulimus) recusarunt concilia, quum non veritatis propugnandæ, sed vel impiæ doctrinæ vel aliquorum potentia constitutendæ causa viderent illa conuocari?

XLVI.

Testantur id exempla Maximi Episcopi Hierosolymitani, Athanasij, Hilarii, Cyrilli, & aliorum qui falsa dogmata decretum in animaduertentes

Hh

suspectis

suspectis illis conciliabulis interesse recusarunt: Non tamen propterea statim ad proscriptiones, minus ad arma, multo minus ad Bellonæ fanum est itum. Et quomodo tanti Principes Episcopis illis viliores poterunt censerī?

XLVII.

Quam pie, candide, & prouide causam egerint confœderati Smalcaldici inde etiam Sole meridiano clarius est, quod anno 35. Fœdus cum Gallia Rege, per Langæum Bellaium Legatum sollicitante, nisi Cæsar tanque supremus Magistratus, aduersus quem nihil sibi faciundum esse demonstrabant, exciperetur, omnino recusarunt.

XLVIII.

Si in humanis viribus spem suam posuissent, si erga Rempubl. male affecti, si Cæsari infideles fuissent, si aliud fronte aliud mente gessissent, tantam profecto occasionem res suas in tuto collocandi nequaquã neglexissent. Unde etiam Legatus Gallia mirari se, quod tantum Regem negligerent, & tempus aliquando fore non sine præfagio dicebat, quum illius coniunctionem magno cuperent redemptam.

XLIX.

Ut Cæsari non tantum sed & omnibus Germania Ordinibus restatum facerent Protestantes Socii quomodo Pacis publicæ conseruatio & Salus Germania non vero Rebellio sibi cordi esset, anno 37. in Conuentu Brunsvvicensi Albertum Brandenburgicum Borussia Ducem ambientem fœderis societatem licet eandem Religionem iam aliquot annos professus fuisset, admittere tamen noluerunt eam ob causam quod ante annū sextum ob transactionem cum Rege Polonia factam à Camera fuisset proscrip-tus, quod nequaquã fecissent si leges, iura, actiones omnesque neruos Imperii (quod proprium est illorum qui Rebellioni student) sublatos voluissent. Et non est ignotum quomodo Ciuitatibus etiam dissuadentibus Elector Saxon. Heluetiorum societatem recusarit.

L.

Cum anno 39. aduersariorum criminationes variæ ad Gallia Regem contra socios fœderis fuissent perlatae, quasi Episcopis bella essent illaturi aliaque contra Pacem publicam ausuri, & Rex vt ab huiusmodi attentatis desisteret Ulricum Ducem Wirtembergicum literis admoneret, alioqui futurum vt suas fortunas omnes in magnum discrimen adduceret, non tantum ille sed & Saxo & Landgrauus calumniam hanc à maleuolis excogitatam sufficienter refutando innocentiam suam Regi, vt & subsequenti anno ipsi Cæsari satis superque probarunt. Imo quod maius est eodem anno, remoto iam Heldo, & Granuellano apud Cæsarem obtinente primas, huic etiam submissius forte quam par fuit causæ suæ patrociniū commendare non dubita-

dubita-

dubitarunt, eo quidem fine, vt suæ voluntatis atque consilii testimonium illustre superesset ad omnem omnino posteritatem.

L I.

Quid vero Legatus Pontificius Farnesius Cardinalis eodem tempore fuerit molitus apud Cæsarem tam notum est quam notissimum: Persuadere nimirum voluit Cæsari protestantes plus oppugnare Christum quàm Turcas: nam hos in corpora tatum sæuire, sed ab illis etiam animas in sempiternum exitium trahi. Estne hoc per Concilium toties iactatum diffidiis Ecclesiasticis velle mederi? Imo nihil aliud est quam ipsum cum Protestantibus Cæsarem ludificare.

L II.

Colloquium anno 41. Wormatiæ institutum inter vtriusque partis Theologos quomodo Pontificis & huius Legati Petri Pauli Vergeri astu, cum causæ suæ diffiderent, tertio statim die fuerit abruptum, Historiæ testantur, & Vergerii (qui ipsemet postea Pontificio dogmati valedixit,) Oratio de vnitæ Ecclesiæ typis tum temporis excusa, ex qua satis apparet quod nationale seu pium, liberum, & immune à pontificis tyrannide concilium noluerint, tale vero optarint, vbi ex absoluta Præsulis Romani potestate omnia procederent. Huius Recusatio belli causa sufficiens visa fuit aduersæ factioni.

L III.

Cum eodem anno in Conuentu Ratisbonensi inter vtriusque Partis collocutores quædam controuersia ad conciliationem iam vergeret, quod Carolo V. & aliis proceribus lætitiæ & spem concordia excitabat, ecce Contarenus Pontificis legatus ipsi Cæsari & ordinibus status quæstionem mouens tam conciliatorum quam non conciliatorum dogmatum decisiones Pontifici & concilio (illegitimo non legitimo, cuius caput & cauda nimirum foret ipse Papa) reseruandas clamitat & obtinet etiam. Interim vero Augustano decreto condemnatoria vis facta & tecta manebat, quicquid etiam Protestantes in contrarium afferebant. Non sunt autem compatible conciliare velle dogmata controuersa, & simul etiam vnius partis dogmata pro condemnatis habere. Suspendio quidem deinde Decreti rigorosi sequebatur, sed non sine astu contra Protestantes, imo nec sine periculo. Lippiat imo coecutiatur qui vel hinc etiam Tyrannidem Pontificiam & Protestantium pressuras non animaduertit.

L IV.

Subsequebatur Anno 44. Decretum illud Spirense, quo impetrato Protestantes duplicatum auxilium contra Gallum & Turcam præstabant, iam rerum suarum securi & optima quæque sibi promittentes.

L V.

Verum Pax eodem anno inter Cæsarem & Gallum apud Sueffiones inita Decreti Spirensis vim statim elidebat, Quippe inter conditiones cau-

tum erat mutuū auxiliū pro Restitutione veteris Religionis & Ecclesiæ Romano-Catholicæ concordia, ordinibus Imperii minus obsequentibus seu Reformatæ Religionis sociis inde exclusis.

LVI.

Protestantes (ait Thuanus) decreto Spirensi nimis fidebant, & voti ut sibi videbantur compotes nimis secure debebant. Germani, Thuane, utique Germana agebant fide: & pro ingeniorū suorum candore etiam alios haud aliter æstimabant. An non fident Saxo, cuius filio clanculum, etiam nescio Landgrauio, matrimonium offerebatur summum? an non fideret Landgravius adeo clementer cum tantis promissis à Summa Maiestate dimissus?

LVII.

Sine omni dubio Decreto Cæsaris & ordinum sua vis mansisset, nisi Pontificis dolosæ machinationes, criminationes obstitissent. Iactabat enim Paulus III. in literis ad Cæsarem Decretum illud Spirensē pertinere ad animæ ipsius periculum, ad maximam Ecclesiæ perturbationem: se solum posse iure diuino & humano (scilicet) concilia cogere, iudicium omne de Religione referre debere ad Ecclesiam Romanam, damnatarum hæresium assertores non posse de Religione iudicare &c.

LVIII.

Citra adulationem siquidem de Carolo V. dici potest cum Thuanus, in ipso à primis pueritiæ initiis præcipuum fuisse Pietatis studium, eoque omnia ferme, quæ ille pace & bello fecerit, referri debere: Negari etiam nequit Carolum serio piam Ecclesiæ emendationem cogitasse: At Pontificum in eo negotio non bona fide versantium ambitione impeditum fuisse Sleidanus, Thuanus, Chytræus, & cum illis alii Historici vere tradiderunt. Imprimis vero Pauli III. fidem in procuratione Concilii desiderauit.

LIX.

Circa annum itaque 45. Carolus V. serio ad bellum contra Protestantes animum applicuisse notum est, dissimulanter quidem, sed ita ut in Italia, Gallia, Anglia magis id quam in maxima Germaniæ parte crederetur.

LX.

Quo pertinet quod eodem hoc anno monetis Cæsareis ex Psalm. 149. istud: **AD ALLIGANDOS REGES IN COMPEDIBVS EORVM ET NOBILES EORVM IN MANICIS FERREIS** impressum fuisse legitur. A proposito hoc ingens clades Mechliniæ urbis tormentario puluere incensæ, quam Heuter. Delph. in vit. Car. lib. 12. describit, tempore hoc Carolus visa fuit dehortari.

LXI.

Cum Protestantium Legati Ludouicus Bambachius & Iohannes Sleidanus

danus circa hoc tempus in Angliam mitterentur propter pacem inter Gallia & Angliæ Regem constituendam, Rex Angliæ per occasionē colloquii Legatos admonebat imminere Protestantibus grauissimum bellum: id sibi certo constare.

LXII.

Theologorum conuentum Ratisbonæ anno 46. ab vtraque parte institutum nihil aliud nisi prætextum & fallax tegumentum Catholicum fuisse, res ipsa loquitur, vt nimirum belligerandi propositum tegeretur, & imparati Protestantes eo facilius opprimerentur. Quibus cum strophæ & fallaciæ aduersariorum subolerent, & iam non amplius verbis sed verberibus, non rationibus sed armis esse pugnandum animaduertitur, Theologos suos reuocandi causas habebant sufficientes.

LXIII.

Cur enim sibi & suis iam non metuerent cum aperte Granuellanus ad Landgrauium dicere haud vereretur, Spirense Decretum tempori fuisse accommodatum, quo nimirum facilius Cæsar auxilia contra Gallum impetrare, & ne Gallus in Germania militem conscribere potuisset?

LXIV.

Itane, Granuellane, Decreta Imperii tempori sunt accommodanda, vt modo valeant, modo non? Aut suntne Decreta Imperatoris & Ordinum velut abacorum calculi, qui secundum voluntatem calculatoris modo obulum æreum modo talentum valent?

LXV.

Cogitare debuisset Granuellanus non solem Imperatorem Leges & Decreta facere sed Imperatorem cum statibus Imperii: ideoq; etiam Decreta facta non à solo Imperatore posse rescindi, cum vnumquodque eo modo quo colligatum est soluatur. I. nihil tam naturale. de R. I. Cogitare debuisset quod in Comitio Ratisbonensi anno 41. Landgrauio eiusque Cancellario verbis speciosis confirmasset, Cæsarem foedere Smalcaldico minime offendi, imo posse ferre, vt quam plurimos in suam partem traducerent.

LXVI.

Cogitare debuisset Legem Regiam quæ de Imperio Caroli lata est nequaquã hoc admittere, vt Pacificationes in tot diuersis Imperii conuentibus Norinbergæ, Ratisbonæ, Spiræ & aliis locis factæ vno statim impetu funditus tollerentur.

LXVII.

Eadem Lex Regia siue Capitulatio, vt vulgo loquuntur, expresse prohibet ne vis adhibeatur iis, qui se cognitioni legitimæ sistunt, sed vt ex Legibus Imperii contra illos agatur, vt indicta causa nemo proscribatur, vt iuris ordo seruetur, vt de rebus Imperii nullum foedus aut Pactum cum externis, nisi de Septemuirorum assensu ineatur, vt nullum fiat consilium, quod di-

gnitatem Imperii suæ familiæ peculiarem & hæreditariam facit. Hæc omnia si Granuellanus vt fideliter fuissent obseruata operam & consilium dedisset, munere suo præclare functus & Eubuli nomē apud posteros meritis fuisset.

LXVIII.

Verum propter Episcopatum Atrebatensem filio collatum & aliorum beneficiorum expectationem archissime Pontifici erat obstrictus Granuellanus: ideo ad eius nutum omnia Cæsaris consilia dirigebat, & qui primum in suo officio omnia ad moderationem contra Heldum componebat, iam potitus & Heldo abdicato aliam personam aliosq; mores induebat. Sunt enim noui Aulici & noui Consiliarii pleriq; scopis non absimiles, quæ recentes admodum placent, & nitide pauimenta euerrunt. Quid multis? per aliorum Zizania Granuellanus fructus sibi comparauit exemplo Alcasouæ apud Connestag. i. de Portugal. & Castil. coniunct.

LXXI.

Confœderationes cum Gallo, cum Papa, qui certe externi sunt, cum ille Imperium nequaquã recognoscat, neq; Imperii membrum sit, hic etiã ius quoddam superioritatis affectet, sed male tamen, sine Septemuirorum consensu contra Religionem omnino fiebant: Sistere se volebant legitimæ coniunctioni Saxo & Landgrauis: at frustra. Purgebat hic etiam præsens sese suosq; socios Cæsari ptolixe, & rationibus quidem grauissimis: Publico deinde scripto vterq; innocentiam suam defendebat sine vlllo tamen fructu, quia iacta iam erat alea, & conclamatum aduersus Hæreticos.

LXX.

Recte autem sentiunt qui cum Schurfio, Haiminsfeldio, Paurmeistero & aliis omnem omnino perumpendæ Capitulationis potestatem Cæsari competere negant. Quorsum enim alias iuramentum accederet? Cur fidem daret Electoribus singulis etiam mediante scripta Cautione à Capitulatione sese nullo modo recessurum?

LXXI.

Qui negant Religionis fuisse bellum Caroli contra Protestantes vel non legerunt vel oblitifunt capita, leges & conditiones, quibus ille cum Papa transegit anno 46. Causa nimirum & scopus totius fœderis fuit Concilii Tridentini (Pontificii non Christiani, seruilis non liberi) Recusatio, & errantium Germanorum viribus & armis ad priscam Religionem & sanctæ sedis obedientiam reductio. Certo constabat Pontifici Religionis causa bellum geri, ait Thuanus. Imo nimis certo constitit atq; etiam nũ certo constat.

LXXII.

Interim apud Germanos Principes nonnullos qui puriori etiam doctrinæ erant addicti, nec non Ciuitates Imperii aliæ prætexebantur rationes, nempe

nempe imminui Maiestatem Imperii, & paullatim paucorum audacia, qui ceteros pessimo exemplo corrumpere in contemptum abire. Bellum itaq; non Religionis sed iuris & æqui conseruandi, Imperatoriæ dignitatis & Germanicæ libertatis recuperandæ causa suscipi, nec aliud quæri quam vt paucorum castigatione Germanicæ saluti & securitati consulere. Additur etiam in Responso ad Palatinum quorundã apud exteros aduersus se machinatio, nec non bonorum Ecclesiasticorũ inuasio & Religionis compositio.

LXXIII.

Ita facile nimirum est cuius magno Principi (ait Franc. Guicciard. 16. histor.) cupiditatibus suis quæ honesta videantur & æqua prætexere: Et completum est illud Regis Angliæ augurium longe verissimum, futurum scilicet, vt confœderatis bellum longe alio titulo quam Religionis inferretur; Completum est etiam Legati Gallicani Bellai Langæi præfagium, de quo antea.

LXXIV.

Eo modo Iohannes & Albertus Brandeburgici, cum ille etiam foederi Smalcaldico nomẽ & fidem dedisset, illecti & persuasi copias suas cum Cæsarianis coniunxerunt & insperato Germanorum robur contrario Germanorum robore cepit diminui ac debilitari.

LXXV.

Causam belli Pontifex Paulus III. ipse dilucide in apurum protulit in literis quas scripsit anno 46. ad Heluetios: nimirum in Germania nõ paucos esse etiam de numero eorum, qui Principes habentur, qui concilium non modo superbe & insolenter contemnerent, sed maledictis etiam & conuiciis insectarentur: ideoque necessitatem sibi imponi rem armis tentandi.

LXXVI.

Bona quæso verba Paule! Itane ad Pastorale tuum officium etiam pertinet vt arma capias contra illos qui cõciliũ tuum Decretis recusant parere? Ast ego putarem ex sententia D. Ambrosii CHRISTI milites non pila tractare ferrea, sed orationes, fletus & lacrymas esse arma & munimenta ipsorum. c. non pila. c. conuenior. & c. si quis. 23. q. 8. putarem Paule sacerdotis esse dicente Chrystostomo, populum monere, non mouere arma, quia gladium mentis non Martis teneat. Ex quo Papa Gregorius, Si in mortem, ait, Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem nec Ducem haberet: Sed quia DEVM timeo, in mortem cuiuslibet me miscere formido. c. si in mortem. 23. qu. 8. Hodie si successores Ambrosii, Gregorii idem facerent, non tot bella in Christiano orbe excitarentur Obrecht. Disp. de Bell. Princ. & Constit. th. 86. 87. 88. &c.

LXXVII.

Etiã publico diplomate supplicationes eodẽ anno (vt belli causa, quã
Cæsar

Cæsar rectam malebat eo magis innotesceret) indicebat Pontifex, quo Christiannos hortabatur, vt puris mentibus preces & orationes apud DEVM funderent, pro felici successu belli contra prauæ doctrinæ in Germania sectatores & propugnatores à se & Cæsare communibus copiis & sumtibus suscepti.

LXXVIII.

Cogitate quæso Germani Principes quid Pater Patratus Romanus ille fuerit molitus, & quid etiamnum sit nobis expectandum! & (vt Thraseas ille Pætus moribundus, tunc lumen Romani orbis apud Tacitum) omen quidem Dii prohibeant, cæterum in ea tempora nati sumus, quibus firmare animum expedit constantibus exemplis.

LXXIX.

Inde etiam apparet Religionis fuisse bellum, quod cum Rauesburgii Euangelii doctrinam eodem anno amplexi fuissent, missis literis mandatum fuerit à Cæsare, vt paucos intra dies ab instituto discederent, alioqui futurum, vt sectionem vrbis & agri militibus permetteret.

LXXX.

Et quamuis ad omnia sese offerrent Saxo & Landgravius, modo conscientiarum libertas maneret salua, licet causæ cognitionem legitimam etiam coram Senatu Imperii ante armorum expeditionem magnopere expeterent, nihilominus tamen sine vlla praua citatione proscripti sunt vti perfidi, vti rebelles, seditiosi, læsæ Maiestatis rei, & communis otii perturbatores.

LXXXI.

Cum ergo nulla spes Pacis affulgeret, susceperunt tandem Defensionem quam & diuinum & naturale ius concedebat: Non enim prius ad arma veniendum nisi quando nulla quam in armis spes est relicta. Bodin. Althus. Bocer. Besold.

LXXXII.

Defensiuum itaque bellum Cæsari iuxta belli morem scripto per adolescentem quendam (qui fui fuit ex nobili familia de Plato) atq; tubicinem faciales misso denunciabant. Denunciatio enim est necessarium belli requisitum adeo vt sine denunciatione si bellum geratur, in Captiuos tamque latrones animaduerti posse scripserint Kirchner. Facius, Besold. Hannon. & ex veteri formula bellator prius mittat clarigatum. Plin. 22. Natur. histor. II. Lips. 5. ciu. doct. 4.

LXXXIII.

Male factam fuisse Defensionem à Confœderatis sociis aduersus Carolum inde astruunt nonnulli, quod vigore Legis Regiæ ad Catholicæ Religionis & Papæ defensionem ab ipsis Electoribus fuerit iuramento præstito obstrictus, & quod Ecclesiæ Romanæ fuerit aduocatus & obsequens filius.

LXXXIV.

LXXXIV.

Sed Respondeo: Iuravit Carolus Defensione Reipubl. Christianæ: Respublica autem Christiana potior est Pontifice & Ecclesia, quæ falso ab vno loco Romana tunc temporis dicebatur, & etiam nunc dicitur: cum à Christo & eius doctrina non vero Roma & Romanis dogmatibus dependeat Ecclesiæ autoritas. Deinde Ecclesia Romana quatenus Romana iam erat disputationi subiecta, & de eius veritate aut falsitate iam controuersia erat mota, Ecclesia vero CHRISTI quatenus CHRISTI ab ipso CHRISTO non Cæsare, non Regibus, non Principibus, multo minus Papa defenditur.

LXXXV.

Quod si iustum bellum ratione causæ censeretur Cic. i. offic. quis bellum hoc iniustitiæ ausu arguere, cum nihil esse in rebus humanis Religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi recte scribat Lactant. s. Institut. 20.

LXXXVI.

Obiiciunt inconueniens esse veram doctrinam velle armis defendere. Respondeo inconuenientius esse veram doctrinam velle armis opprimere, & falsam propagare, quod moliebantur Pontifex, Farnesius, Granuellanus, eorumque asseclæ. Nam pax colenda vbi DEI iacturam non facimus, rursus bellum gerendum vbi periclitatur Religio.

LXXXVII.

Defendenda est dicunt ex Lactantio Instit. libr. 5. Religio non occidendo, sed moriendo, non sæuitia, sed patientia, non scelere sed fide. Verum Lactantii sententia secundum quid saltem intelligenda & explicanda est: alioquin aduersariorum etiam opinioni haud præstaret patrocinium. Imo illi occidere malunt quam occidi, sæuire quam pati, scelere quam fide alios opprimere.

LXXXVIII.

Quemadmodum vna domus duos canes alere nequit, aut vnica arbor duos psittacos ferre, sic nec vnum idemque regnum duas Religiones ferre posse clamitant & crocitant Esauitæ, qui commune Christianorum nomen arroganter sibi vindicant secundum Cuiacium.

LXXXIX.

Eiusdem farinae est sanguinarium illud dogma quo omnem Principem à Pontificia Religione dissentientem Tyrannum pronunciant, & propterea iure à quouis occidi posse.

XC.

Verum (vt in terminis iam maneamus) obliti sunt Patres illi quibus præ nimio eruditionis fastu turgidis omnes alii tantum fungi, rupices, & Marru-

cini videntur. quod Theodosius maior Arrianis (quos capitaliter oderat) & Catholicis simul sua templa concessit, & in singulis oppidis duos utriusque Religionis Pontifices haberi permisit.

XCI.

Religionem imperare non possumus quia nemo cogitur ut credat inuitus, scribebat Theodoricus Imperator ad Senatum Romanum: quæ quidem ratio Cassiodori satis efficax est ad supplicia, quæ Religionis specie irrogantur, tollenda. Religio libertate gaudet, neque in animis hominum inuitis radices agit, neque cogi se patitur. Quis imponat mihi necessitatem, inquit Lactant. vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi?

XCII.

Bellum nimirum nequaquam est legitimus modus tollendi ex Ecclesia hæreses & scissuras, quod modestiores etiam Pontificii nunc sero nimis fætentur. Experientia satis edocti sumus (inquit Iacob. August. Thuan. in præfat. Histor.) ferrum, flammæ, exilia, proscriptiones, irritasse potius quam sanasse morbum menti in hærentem &c. Et sola Religio (ait ibidem) non imperatur, sed ex præconcepta veritatis opinione, accedente diuini Numinis gratia, bene præparatis mentibus infunditur: ad eam cruciatus nihil valent, quin obfirmant potius animos quam frangunt, aut persuadent.

XCIII.

Bella Religionis tollunt memoriam Religionis ait acute & prudenter Lanouius Discut. 1. Malo Pacem in duabus Religionibus quam bellum in nulla ait neruose Petr. Matth. licet Catholicus in præfatio. Oper. Historico-pol.

XCIV.

In Gallia tempore persecutionum Euangelicarum quomodo Atheismus, Epicureismus, Execrationes blasphemæ, sortilegia & studium Magicum increuerint inde apparet, quod tempore Caroli IX. (sub quo scelus illud Galliæ, ut nominat Thuanus anno 72. commissum est) Triscalanus Cenomannus Magorum Princeps fassus fuerit ipsi Regi Carolo IX. in Galliarum Regno tunc supra 20. millia magorum esse.

XCV.

Quod si diligentius id considerassent Paul. III. Pontifex, Cardinalis Farnesius, qui tantum sese in Germania profusurum sanguinis iactabat ut equus suus in illo posset natate: nec non qui à latere erant Cæsaris Granuellanus, Nauius, aliq; bellum hoc Cæsari nunquam suauissent.

CXVI.

XCVI.

Pontifex Romanus tot turbarum auctor, ait Balthasar Gutlingus in oratione sua castrensi, quam habuit tum temporis ad milites, Cæsarem prudentissimum alioqui & clementissimum Principem ad arma contra nos capescenda suscitavit, ubi duas odii & vindictæ Papalis causas in medium profert, Lutheranorum nimirum à Regno Pontificio defectionem, & Romæ Urbis à Germanis factam Duce Borbonio inuasionem & direptionem.

XCVII.

Quibus displicet Fœdus Smalcaldicum & hoc defensuum bellum, plerumque non aliter considerant Electores & Principes Germaniæ quam si fuissent homines priuati, Cæsarem è contra quasi absolutæ Potestatis, & nullis legibus, conuenientibus & Pactis obligatus fuisset.

XCVIII.

Principibus & Ordinibus Imperii nostri ex antiquissimo libertatis iure nec non priuilegio concessum esse ad publicam Pacem conseruandam, libertatem tuendam, suamque legitimam defensionem, vel inter se, vel cum exteris fœdera inire, ex Aurea Bulla Carol. IV. tit. 15. non obscurum est. Quibus casibus quin æquipolleat conscientiarum libertas eiusque tuitio facile potest probari.

XCIX.

Confœderationes ad bonum finem, imprimis in pacis publicæ & legum fundamentalium conseruatione fundatas etiam absque Imperatoris consensu fieri posse, sunt qui ex Menoch. 1. consil. 32. etiam probant. Et quis dubitet legitimum fuisse fœdus inter Electorem Iohannem, Bauaros, & Landgrauium cum Rege Galliæ pro Patriæ libertate & Aureæ Bullæ defensione initum ob Ferdinandum Regem Romanorum creatum.

C.

Verum inferunt nonnulli, etiamne contra Imperatorem ipsum? Ego non video quomodo Imperator Electori vel Principi Germaniæ etiam in causa Religionis sit Imperator: Neque video quomodo Elector Saxonix & Landgrauus ratione conscientiarum Cæsari fuerint subiecti: alii Electores & Principes Germaniæ Poloniæ Waiwodis forent minores ac deteriores, quod absurdum.

CI.

Deinde licet fœderibus & priuatis & publicis Cæsar exceptus intelligatur, ita tamen exceptus est, si potestate sua minime abutatur, si

nihil contra Religionem, si nihil contra Capitulationem quam iuravit, si nihil contra libertatem & leges Germaniæ fundamentales aut ipsum Reipubl. statum moliatur.

CII.

Recte si verum amamus, scripsit Lutherus anno 41. in libr. aduers. Henric. Brunsvvic. Quod soli DEO debetur non est largiendum Cæsari, qui DEI beneficiarius esse debet.

CIII.

Princeps Romanus (iam dudum scripsit Plinius secundus) Reipubl. iurando, velut illius officarius obstringitur, ac ipsa Republica seu Regno minor est.

CIV.

Vt nos Cæsari (scribebant apologetice Saxo & Landgravius) sic ipse vicissim nobis est obligatus: quod autem indicta causa nos proscribit & possessionibus omnibus deicere conatur, in eo iuris vinculum dissoluit, quo clienti seu beneficiario deinctus est invicem patronus.

CV.

Verum quorundam iudicio Excessus quidam circa Defensionem fuit commissus. Ego quidem non Excessum sed nimiam potius moderationem deprehendo, cum occasiones rei bene gerendæ, vt in castris ante Ingolstadium & alibi sæpe passi fuerint è manibus elabi, & Saxo sese castris discessurum, cum Landgravius hostem audacius invaderet, minatus sit.

CVI.

Quæ de bello contra Henricum Brunsvvicensem, de Ulrici Ducis Wirtenbergici restitutione, & de bonorum Ecclesiasticorum invasionibus obiiciunt, nã illis ita iam dudum per ipsos Principes coram toto mundo satisfactum est, vt nulla amplius indigeant Apologia.

CVII.

Quo ad Henrici Brunsvvicensis causam in Illustrissimo totius Imperii concessu ita causam egerunt vt applausum mererentur. Quo ad Wirtenbergici restitutionem, Remissione, condonatione, Transactione aliisque iuris beneficiis, quæ largissimam recipiunt interpretationem, tutus erat & debuisset manere Landgravius, æque vt Elector, qui ad Ordines Mauritanos anno 46. De rebus omnibus (scribebat) extra Religionem positis iam pridem inter Carolum, Ferdinandum, atque me conuenit, & quæ nobis tribuuntur crimina falsa sunt, & Religionis causa tantum affligimur.

CVIII.

Causas enim vel lites legitimis transactionibus sopitas etiam Imperiali rescripto non debere resuscitari Impp. Dioclet. & Maxim. l. 16. C. de Transact. rescripserunt. Quod ius cum inter priuatos firmiter obtineat, cur illis quæso denegetur qui in Carolina sanctione vocantur palmites Imperiales, septem candelabra lucentia in vnitae Spiritus septiformis, quibus sacrum illuminatur

minatur Imperium, nec non columnæ, & latera & bases Imperii dicuntur? cur aliis etiam Germaniæ Principibus haud communicetur qui tamen nullis aliis sub sole Principibus dignitate & præminetia cedunt?

CIX.

Bona Ecclesiastica quod attinet, anno 40. ita sese defenderunt, ut nihil supra. Negarunt sese occupasse alieni iuris & ditionis bona Ecclesiastica, sed ipsos Episcopos iurisdictionem suam proiecisse postquã illa minus experat esse quæstuosa. Cænobiorum bona partim in Ecclesiæ ministros populiq; doctores, partim alios similes in usus pios erogari, præsertim cum exorta Evangelii luce multi præsertim doctiores vitæ genus illud Pharisaicum sua sponte desererent, demonstrarunt.

CX.

Et huic quidem mutationi occasionem semetipsos dedisse avaritia & ambitione sua nec non pessimis vitæ exemplis, ideoque iusto DEI iudicio ita puniri, cum nemo esset qui officium suum faceret, & qui agrum domini recte coleret, ipsi Patres Concilii Tridentini anno 46. 7. Ianuar in toto confesso fatebantur. Non ergo quod culpa sua sentiebant damnum Saxoni & Landgrauio acceptum ferri debuisset.

CXI.

Imo etiam ius proprium, ob sublime, seu regium territorii ius in bonis illis Ecclesiasticis etiam ante occupationem Principes habuisse, & propter abusum etiam ex Pontificum Romanorum traditis tanquam superiores ista vindicare potuisse, non absurde, rationibus ex Bartolo, Abbate, Felino petitis, Wesenbecius, Pruckmannus, Cothmannus & alii Dd. euicerunt.

CXII.

Non video etiam quænam illæ fuerint machinationes apud externos contra Imperatorem, quarum Responsum Palatino belli causam sciscitanti datum mentionem facit: siquidem amicitia illa quam cum Rege Galliarum, cum Rege Angliæ nunquam excluso sed potius excepto Imperatore habuerunt, nihil in se continebat machinationis: Et amicitia quæ bona fide sine fraude & pernicie domini cum aliis quantumvis inimicis eius colitur, vasallum feudo priuat. Iniquum enim esset & contra bonos mores, imo etiam Christianam charitatem, si omnes eos odisse ac pro inimicis habere cogeretur Vasallus, quos odit Dominus. Borch. Rosenthal. Schrad. & communiter Ff.

CXIII.

Imo Domino quoque amicitiam in sui iniuriam & perniciem esse initam à Vasallo affirmanti probationem incumbere, cum amicitia copulatio non fit de rebus sua natura prohibitis siue illicitis, atque adeo vasallus rei licitæ operam dans non censeatur esse in dolo, adeo certum esse autumno, ut contrarium sit omnino falsum.

CXIV.

Friuole argumentantur qui bellum Religionis fuisse negant propterea quod Mauritio Saxoni & Iohanni Brandenburgico aliisque nonnullis cautum fuerit de Religione. Quam lubricæ enim fuerint illæ cautiones & plane nullius momenti euentus docuit, & mox infra videbimus.

CXV.

Neque Camera Imperialis Recusatio (cuius causæ in formula proscriptionis etiam fit mentio) de nihilo aut ex contumacia quadam facta fuit; sed causas habuerunt grauissimas, idque missis legatis denunciarunt, testificati simul non se quidem recusare legitimam aut ordinariam iurisdictionem, sed præsentibus iam Iudices recusare, qui sint diuersæ Religionis qui decretum Augustanum anno trigesimo factum, purioris Religionis condemnatorum laudent, qui Pacificationem Noribergensem aliasque infregerint atque etiamnum infringant, qui propter hoc ipsum grauitè ab se dissideant, & magnum odium circumferant, qui se pro hæreticis habeant, neque sibi ius communicandum esse putent, & qui multis non obscuris præiudiciis hoc suum odium sæpe prodiderint.

CXVI.

Multoties in Comitibus & conuentibus promissa erat etiam Camera Reformatio & legitima iudicii constitutio, verum frustra. Interim ad Brunswicensis placitum & aliorum Catholicorum nutum fulminabant Camerales contra socios Smalcaldicos indefinenter. Quare eiusmodi Recusatio licita fuit & nullam proscriptionem iure potuit promereri. Quod si enim vi & vigore Legis Regiæ Imperator fuit obligatus ad iustitiæ æquilibrium, cur non Camera & Imperatore & Ordinibus inferior?

CXVII.

Vltimum est idque non leuis momenti quod pro coloranda ut sic dicam proscriptione eamque subsequens armis in medium afferri solet, ab euentu & exitu totius causæ petitur, nempe Cæsaris & Catholicorum Victoria, Protestantium vero tam proscriptorum quam non proscriptorum glades.

CXIIX.

Ita nimirum animati sumus mortales, quo Fortuna cursum suum dirigit, eo etiam plenis velis & carbassis properanter contendimus: Fortunam suspicimus, admiramur, exosculamur, iuxta illud --- *Sed Te*
Nos facimus Fortuna DEAM caeloq₃ locamus.

CXIX!

CXIX.

Omnia prona victoribus atque eadem victis aduersa ait Tacit. Victori-
bus nihil impeditum, victis nihil tutum ait Cæsar. Et semper hoc priuilegii
habent victores, quod non tantum victis sed etiam non victis formidabiles
videantur.

CXX.

Si quis tamen ita velit colligere: Victi sunt protestantes socii. Ergo et-
iam causa ipsorum fuit mala, aut (vt Loiolitæ) Ergo etiam Religio, nã ille
haud firmo innititur fundamento. Præliorum euentus (ait Franc. Guicci-
ard. 5. Histor.) omnium humanarum actionum incertissimi sunt. Et huma-
norum oculorum imbecillitate diuinorum iudiciorum arcana peruideri non
possunt. idem 6. histor. Fortuna (vt Hannibal ad Scipionem dixisse fertur)
nusquam minus quam in bellis respondet. Et interdum quis sub iusto clypeo
succumbit. Anceps belli alea, & incertus victoriæ exitus, (ait Thuan. 59. Hi-
stor.) qui plerumque non ad iustiorum causam inclinatur: quin imo vsu
venire cernimus, vt per similes casus DEVS, quem iusta in nos conci-
tatum ira citra præfractam impudentiam d. fiteri non possumus, suos pu-
niat.

CXXI.

Victoriam bonæ causæ semper comitem fuisse humanæ Historiæ è dia-
metro aduersatur, quia contraria exempla suppetunt quam plurima. Consi-
derentur saltem Catonis & Cratippi iudicia super clade Pompeii & Cæsaris
victoria. Res diuinas multum habere caliginis ambigue dicebat Cato, meli-
us vero iudicabat Cratippus. Vincebat IULIUS Cæsar, verum Victor ille su-
perbus, opinione sua & aliorum iam DEVS paulo post in Senatu & à Senatu
viginti tribus plagis confectus, in Pompeii curia, superstante Pompeii sta-
tua, magnam victimam Magni manibus parentabat. Lips. 2. de Constant. 15.

CXXII.

Consideretur Historia mirabilis Henrici IV. Imperatorum Germano-
rum fortissimi, qui bis & sexagies cum hoste confligit, & M. Marcellum Iuli-
umque ipsum superauit, nihilominus tamen tandem post varias Fortunæ vi-
ces à Pontificibus delusus, reiectus & dignitate spoliatus in causa etiam iusta
succubuisse legitur.

CXXIII.

CXXIII.

Iure diuino quomodo in bona causa etiam pii nonnunquam succubuerint, haut operæ pretium est accensere. An non iudicium Domini incipit à domo ipsius? an non proximus Deo proximus flagellis? Bellarmini profecto & aliorum iudicia perpetuas Romanæ suæ Catholicæ Ecclesiæ victorias spondentium nec cum iure diuino congruunt nec cum Experientia: Illo siquidem afflictiones & non meræ victoriæ Ecclesiæ militanti promittuntur: Hæc vero felicitatis illam (quam somniant) præscriptionem sapissime interruptit, modo quæ in Gallia, Anglia, Belgio gesta sunt à tempore Euangelicæ Reformationis in mentem nobis reuocemus.

CXXIV.

Quod si præcise hoc ipso tempore & his horarum momentis non fuit in facis pacem & halcyonia Ecclesiæ alueolis constituere, quis tamen adeo rerum gestarum possit esse ignarus, vt occasionem huius rei postea perficiendæ fuisse oblatam ausit negare? Habent nimirum Fata moras & horas suas.

CXXV.

Causæ Politicæ fœderatorum cladis haud difficulter tradi possunt. Præcipue æqualis Ducum potentia, vnde quauis in re prolixis consultationibus opus erat, & non raro inter dissentendum optimæ occasiones rem bene gerendi amissæ, perniciem attulisse creditur: idque in castris prope Ratisbonam, prope Lindsbütum, prope Ingolstadium animaduertentur Cæsariani, neque postea dissimularunt. Raræ sunt atque fugaces magnæ occasiones (ait Anto. Grimanus Senator Venetus apud Franc. Guicciard. 4. histor.) estque prudentiam & magnanimorum cum offeruntur arripere, econtra vero negligere summa reprehensione dignum, ac sepe nimis curiosa sapientia & futuri nimium sollicita vituperatur. Dissidentibus opinionibus & voluntatibus fiunt opere diuersa. Thucid. lib. 3.

CXXVI.

Ipsa etiam tot imparium confœderatorum societas per principia politica diu stabilis esse nequiuit, quod præuidebat, teste Thuano, sapientissimus Cæsar. Vnde recte scribit alicubi Sturmius: Periculosa est omnis imparium societas: id Æsopicæ ollæ demonstrant id bellum Germanicum comprobatur. Non dicam iam de aliis causis, videlicet de auxiliis Mauritanis & Brandeburgicorum, quæ omnia mira arte & calliditate in suam vtilitatem victor vertebat.

CXXVII.

Consideremus nunc illa quæ Victoriæ Cæsaris sunt subsecuta: vbi nullo negotio apparebit, an non pro Catholicæ Religionis conseruatione & restitutione bellum hoc fuerit susceptum?

CXXVIII.

CXXVIII.

Inter conditiones victo Electori Saxoniae à Caesare propositas perscriptum erat, ut quicquid Concilium aut Caesar de Religione decernerent, approbaret. Si Religionis causa bellum non fuit susceptum, cur itaque in tabulis pacificatoriis Religionis facta fuit mentio? cur conscientiam victi ad Concilii & Caesaris decreta voluerunt astringere? Caesar quidem, cum ille quo ad Religionem minime assentiretur, nec ullius periculi vel mortis etiam praesentis rationem in eo haberet, particulam istam induci iussit & obliterari, sed quo fine id factum fuerit, ut reliqui nimirum purioris Religionis socii quorum ope victoria erat parata, manerent obsequetiores, sequentium annorum gesta luculenter demonstrant.

CXXIX.

Ut scirent Catholici rerum omnium vicissitudinem esse, incidit sub hoc tempus clades ERICI Brunswicensis propè Dractenburgæ profligati, ac in Visurgim flumen cum equitatu compulsi, nec non Urbis Bremæ ab obsidione liberatio. Ita victoriae impulsu pressa quod aiunt pede subsequitur decremendum, & Bellarmini aliorumque veritatis hostium fundamenta corruunt.

CXXX.

Cum Landgravius non multo post Halæ sese sisteret, & Capita Reconciliationis inter Caesaris Consiliarios & Landgravium Mauritiū & Brandeburgici intercessionibus tractarentur, inter alia postulavit Atrebatensis, quia de Religione vellet sibi cauere, ut ipse vicissim cauere & promitteret se velle parere Concilii Tridentini decretis. Hæcine est libertas Religionis necessario parere Concilii Tridentini decretis?

CXXXI.

Subincidit etiam in Vrbe Hallensi omine haud insuper habendo dissensio Germanorum & Hispanorum utrinque ad arma conclamantium, prænunciata belli futuri & cladis Carolinæ: quippe Germanis insolentiam Hispanorum (qui Germanos Germanis auxiliantibus tantum vincunt) amplius ferre molestum erat.

CXXXII.

Corrupto nihilominus tot prosperis successibus iudicio Caesar potius Albano, qui seueritate fructum victoriae conseruari debere sentiebat, quam Castaldo suadenti, ut humanitate & clementia maiestatem & existimationem tueretur, aures præbens, non iam triumphum ex victoria, sed truculentissimum odium ex triumpho reportare incipiebat.

Kk

Subse-

CXXXIII.

Subsequitur aliud omen contra Victorem. Cum enim Cæsar triumphanti similis Augustam ingressus esset, suborta subito Madrucianorum militum, ob non soluta stipendia, seditione, Germanicæ totius victor (imaginatione Hispanorum) in priuatam domum non sine vitæ discrimine confugere est coactus, & in magnis angustiis trium horarum spatio fuit detentus.

CXXXIV.

Fortunæ profecto proprium est (ait sapiens ille Florentinus & Histor.) quotiescunque victoria moderatione ac prudentia munita non est, inopinato aliquo casu gloriam inquinare.

CXXXV.

Et Heroicæ naturæ proprium est ut plurimum, ut subito instar faculæ emicet, & summa petat, mox autem, cum omnium admirationem oculosque in se conuertit, suo quodam fato improviso deflagret. Cæsar's fortuna ut Bellerophontis Pegaso in cœlum evolare conantis, sed excussi, mutata est, ait Merckelius.

CXXXVI.

In Comitiiis Augustanis, quæ armata vocantur, tunc habitis inter alia proponi iussit Cæsar, Religionis dissidium belli præteriti causam extitisse, ut memoriæ mandavit Thuanus. Ecce! si dissidium Religionis causa belli extitit, quomodo Rebellio? Additum fuit, primam & potissimam deliberationem esse instituendam de Concilii Tridentini indicti & inchoati continuatione, cui sese omnes submitterent. Statim itaque reditum fuit ad istud iam promovendum quod recusabant antea Confœderati Protestantes, & quidem constanter & optimo iure recusabant.

CXXXVII.

Ut antea IOHANNES FRIDERICVS Saxo & Landgravius instanter, sic nunc Palatinus, Mauricius, & Brandenburgenses Legati vrgerent liberum & pium, in quo Pontifex (Paulus III. Necromanticus) minime præsideat, Concilium, ubi Episcopis iuramentum remittatur, & ipsorum quoque Theologi decidendi facultatem habeant, & decreta iam facta retractentur.

CXXXVIII.

Verum nihil obtinebant, nisi quod minis partim territi, partim promissionibus illecti, Cæsar's, qui prolixè antea, uti putabant, cavisset, super Religionis arbitrio, rem permitterent, non sine Ciuitatum Imperii dissensu & Religionis periculo. Quod ita fuit intellectum & acceptatum à Cæsare & aliis
Catholi-

Catholicis, vt Legati Cæsarei Franciscus Vargas & Martinus Velascus in publico Confessu Patrum Bononiensium, totam Germaniam sine vlla conditione Tridentinum Concilium approbasse, eique se velle parere promississe dicerent. Vbi nunc libertas Religionis? Imo vbi παρρησία Heroica Antichristum adoriendi remansit?

CXXXIX.

Cùm verò Pontifex cum Cardinalibus suis neque loci, neque alio modo (vt par erat) Cæsari satisfaceret in Concilio legitime procurando, tandem in auras prodit Pallas armata Augustana, non quidē Iovis crebro, sed Triumvirorum Pflugii, Sidonii, Islebii, obstetricante Granvellano, fata & edita tripitio, Sphinx illa celebris Augustana, quæ INTERIM (termino Hispanico. Gail. 1. Practic. obseruat. 5. Menoch. de possess. retinen. Remed. 3.) à nonnullis Interreligio, à Sleidano Decretum Religionis, in Recessibus Imperii Declaratione der Religion in Constitutionibus Imperialibus à Melchior. Haiminsfel. Goldasto editis, itidem Declaratio Religionis indigetatur.

CXL.

— Sic omnia Fatis

In peius ruere, & retrò collapsa referri.

Magnum incussit merum initio Idolum hoc Pontificium: (cum quo tamen non omnes Catholicis sentiebant) Abire cogebantur ministri Ecclesiæ Augustanæ: metu periculi in aliis locis superioris Germaniæ quidam Doctores sponte abibant, ne quid sua professione committerent indignum.

CXLI.

Buceri, Brentii, Musculi, Snepfii, Sarcerii, Frehti, Zuiccii, & aliorum pericula, partim exilia, partim vincula tam nota sunt quàm notissima.

CXLII.

Expeditissima scilicet visa fuit ratio hæc, vt nimirum his & aliis expulsis, Tridentinis Patribus tanto esset actio facilior, & paratior victoria, siquidem aduersarii sui, quos mitterent, vix essent vllos habituri.

CXLIII.

Ratisbona mandatis feuerissimis sub hoc tempore monebatur, vt nouæ (sic vocabant) Religionis valediceret. Et omnino magis probrosus eo tempore, turpe, periculosus, & capitale fuisse vocari Lutheranum quàm paricidam, aut latronem, scribit post alios Merckelius.

Kk 2

Mauri-

CXLIV.

Mauritius Elector, audito Cæsaris Decreto, quod tamen expresse cum aliis Electoribus non approbauerat, cautionem de Religione antea sibi factam tempori saltem fuisse accommodatam iam animaduertens, discedebat, & ab hoc tempore accurata & prudenti dissimulatione noua cōsilia secum coquebat.

CXLV.

Ioannes Brandenburgicus Cæsari Carolo singulariter carus & familiaris, adeo ut Albanus hoc ægrè tulisse feratur, Pactum & Cautionem vrgens, non se posse bona conscientia decretum hoc laudare liberrime respondit: Quam ob causam discedere iussus fuit, ne suo exemplo nimirū aliorum animos confirmaret.

CXLVI.

Quid vero animi huic Principi tum temporis fuisse putas Augusta discedenti, qui antea Smalcaldici Fœderis socius ad annos aliquot, cōtrariæ parti persuasus haud geri Religionis negotium se addixerat? Ita Wolfgangi Palatini Bipontini Constantia Historicorum calamis etiam innotuit.

CXLVII.

Præ omnibus aliis verò admirandum & singulare constantiæ & magnanimitatis exemplum posteritati reliquit Iohannes Fridericus Saxo, quem neque promissa spes libertatis, neque minæ multoties iteratæ siue Granvellani, siue Atrebatensis, siue ipsius etiam Cæsaris commouere potuerunt, ut vel latum (quod aiunt) vnguem ab Augustanæ Confessionis norma recederet, aut nouum Decretum laudaret. Quem deserbat præter omnes ferè homines etiam ille qui solari debuisset à concionibus sacris minister, commutata veste aufugiens, nunc nihilominus seipsum & alios consolatur, maior omni Fortunæ vi & iniuria, maior etiam Victore suo.

CXLVIII.

Huius Principis virtutem, constantiam, animi excelsi magnitudinem, & perferendis quæ necesse esset, patientiam, fidemque ad DEVM & homines suspicientes admirati fuerunt & prædicarunt hostes quoque, scribit Camerarius.

CXLIX.

Granvellani odium aduersus puriorem Religionem hoc ipso tempore adeo creverat, ut cum Argentinenfes de nouo dogmate recipiendo molestantur, hi verò per legatos deprecarentur vim conscientiarum, ille stomachosius tandem in hæc verba eruperit: neminem quidem esse cogendum, ut fidem ali-

dem aliquam profiteatur: verum id oportere accipi de his, qui non sint nominis Christiani: nam eos, qui semel fidem acceptam abnegent, igni posse cogi.

CL.

Cogitate: quæso qui meretricia Babylonis castra reliquistis, quale iudicium de vobis tulerit magnus ille tum temporis in Germania Religionis Dictator Granvellanus: Nimirum vos esse peiores Ethnicis, Paganis, Iudæis; illis salua conscientia parci posse, vobis haud ita. Sed responderunt sapienter Legati Argentinenses: igni quidem posse aliquem è medio tolli, sed vt aliter quis credat, cogi non posse.

CLI.

Ne quid etiam deesset ad Dei iram excitandum & tot victoriarum cursum sistendum, author fuit circa hæc tempora Granvellanus Carolo atrox illud Edictum in Lutheranos in Belgio condendi, cuius capita à Sleidano, Thuanone, Metterano, & aliis Historicis recensentur: & sic primum fundamentum Inquisitionis iactum.

CLII.

Magdeburgici præ omnibus ferè aliis minus satisfaciebant Cæsari: Cumque in Comitibus Augustanis supplicibus literis vim essent deprecati, pro responso nihil aliud quàm tabulas proscriptionis recipiebant.

CLIII.

Cùm etiam Lubecenses, Hamburgenses, Rostochienses, Stralsundenses, Wismarienses & Luneburgenses anno 49. xxiv. Nouemb. Bruxellis pro duabus Ciuitatibus, Brema & Magdeburgo apud Cæsarem propter Deum & ipsius misericordiam submisse ac deuote intercederent, vtque Augustanam Confessionem saluam retinerent, precarentur, Responsum dedit Atrebatensis, Cæsarem malle omnia sua regna perdere quàm idipsum concedere quod cum conscientia suæ periculo foret coniunctum.

CLIV.

Illi verò & præsertim Magdeburgenses deficiente hominum auxilio, diuinum incipere secum cogitantes singulari animorum magnitudine, & Saxonica constantia pro aris & focis defensionem inibant, ideoque nouum Religionis Decretum non modo nõ recipiebant, sed & Refutationes per Theologos suos scribi, & publice edi, cùm omnes Typographia tum temporis aliarum ranas Seriphias imitatae silerent & vindictam metuerent, patiebantur.

CLV.

Ecquid Formula illa Augustana (Interim) aliud agitur, apologeticè scribebant.

bebant, quam ut pontificiæ auctoritatis iugum, quod adeo generose excussimus, rursus ceruicibus nostris imponatur? ut errores nuper detecti & certis Scripturæ testimoniis victi iterum in domum DEI invehantur? ut tot annorum contentionibus ac laboribus parta libertas turpi obsequio ac morigeratione, quæ non solum ad nostrum dedecus, sed ad DEI ignominiam & offensionem pertineat, corrumpatur & penitus amittatur?

CLVI.

Idque adeo ut nihil magis contemptum Decreto isthoc ibidem fuerit habitum, & non modo priuatim in ædibus, sed & publice in plateis Magdeburgi cantitatum:

*Seelig ist der Mann/
Der Gott vertrauen kan/
Und willigt nicht ins Interim,
Dann es hatt den Schalek hinder ihm.*

CLVII.

Macti vos Parthenopœi! digni quos sera posteritas Pietatis & Constantiæ candidatos suspiciat & admiretur, quorum Virtute (post diuini Numinis auxilium) afflictæ nostra Religio iam animam agens paulisper respirare cœpit! Digni magni illius Scaligeri Eulogio præclaro:

*Vos ego magnanimos in vietis Saxonas armis,
Atque graves Martis turbine canto duces.
Non Macedo tu miles eras. Sic Græcia mendax
Facta tua in laudes transtulit alta suas, &c.*

CLVIII.

Recte enim & vere scribit Chytræus: Magdeburgensis ciuitas æternam fortitudinis & constantiæ laudem & gloriam apud exteras gentes ingentem sibi peperit, quæ sola in Germania aduersus potentissimi & tot victoriis elati Imperatoris CAROLI, ac totius Imperii arma, Religionem ac libertatem suam armis fortiter defendere & obsidionem annua diuturniorem excelso & infracto animo perferre ac sustinere ausa est, & tandem DEO virtutem invictam iuuante, Pacem salua Religione & libertate pristina tollerabilibus conditionibus recuperavit. Ac ut inter Principes eo tempore Iohannes Fridericus Elector Saxonie captiuus, sic inter ciuitates Magdeburga in illustri constantiæ & confessionis exemplo cæteris omnibus præluxit.

CLIX.

In ipsis etiam proscriptionis tabulis primaria hæc causa fuit expressa, quod ciuitas proscripta nimium Iohanni Friderico Saxoni, Landgrauio Hælia &

fiæ & aliis sociis in causa Religionis adhærens opem auxiliumque præstitisset.

CLX.

Confectum itaque fuit bellum hoc celebre cum primis & posteritatis memoria dignū, quod nulla in Cæsarem cōtumacia, sed vera potius in DEVM pietate, & in Religionem amore atque constantia susceptum est, industria & fortitudine eximia gestum, & diuina denique felicitate finitum magna equidem cum illius vr̄bis laude & existimatione.

CLXI.

Compertumque est victoriam de Iohanne Friderico Saxone & sociis omnem felicitatis Caroli finem ac quasi terminum fuisse. Nec post oppugnationem Magdeburgicam vllum fortunæ prosperum flatum expertus est, vt totidem verbis scripsit Dresserus, & verè scripsit. Etiam corporis vires cum victoria Saxonica decreuisse, & corporis imbecillitatem accreuisse negari nequit.

CLXII.

Singulari fatō rerum mutationes adiuuabat Regis Galliaë hoc ipso tempore in tanta Cæsaris fortuna atque splendore amicitiaë renunciatio bellumque mox insecutum, quod tamen Rex procul dubio non inchoasset, nisi de Mauritii voluntate per internuncios iam certi aliquid accepisset. Interim Conciliabulum Tridentinum feruidè rem agebat, & vt tunc prouerbio familiariter fuit dictum, Spiritus sanctus Roma subinde Tridentum manticæ inclusus veniebat. Qui tamen Spiritus qualis fuerit, Crescentii legati Pontificii & Præsidis Concilii exitus miserabilis adeo demonstrauit, vt in mediis suis tribulationibus & aduersæ factionis tripudiis oppressa pars iustum DEI iudicium manifeste animaduerneret.

CLXIII.

Idem fuit fœdus inter Mauritium Electorem, Wilhelmum Hassi filium, & Iohannem Albertum Megapolitanum ab vna, & Regem Galliaë Henricum II. ab altera parte. Non itaque credendum hac in parte Thuaño, qui Mauritium tam suo quàm Georgii Friderici pupilli (ex sorore nepotis) & Iohannis Alberti (quem Historiaë ignorant) Marchionum Brandenburgicorum nomine transegisse scribit: Non Bodino & aliis, quorum errores ratione loci & personarum detecti sunt & refutati.

Initum

CLXIV.

Initum fuit fœdus pro Religionis conseruatione, Germaniæ libertate, Philippi captiui liberatione. Iuratum fuit à Rege, præfente Alberto Marchione Brandenburg. qui totum sese huic negotio dabat, ait Sleidanus: vicario tamen magis Principum prædictorum, quibus tanquam Dux bellicus militaturus esset, quam proprio nomine: ab alterâ verò parte præfente Ioh. Fraxineo Baionensium, vt Sleidanus, Lapurdensium, vt Thuanus, Episcopo.

CLXV.

Exitus fuit talis, vt non tantum iactantia Hispanorum & Itatorum de Germania in Prouinciam redacta aut redigenda in fumum euanesceret, sed & Germanorum antiquæ virtuti & fortitudini pristinae vindiciæ iam struerentur; nec iam amplius Euangelici Pontificios, sed hi potius illos metuerent, & Cæsar Germania discedere cogeretur.

CLXVI.

Fructus nimirum hic fuit consilii Albani ad seueritatem & rigorem magis quam ad clemenciam directi. Quod si Electoris Brandenburgici Ioachimi II. Consilium Cæsar obliuioni non tradidisset, quod dederat ille in castris propè Witebergam, has aduersantis Fortunæ vices procul dubio non fuisset expertus.

CLXVII.

Si me consultore (nam quid alii consulant gentis suæ more nihil ad me) vti velis Cæsar, moderare victoriam, eaque vttere vt te dignum est, dixit tum sapientissimus Elector. Parum est quod hostes tuos bello superaueris, nisi te ipsum vincas, quâ re nihil fortius, nihil præclarior, aut maiestate Imperii dignius. Alterius victoriæ laus, bona ex parte, ad milites, quorum opera in bello vsus es, pertinet, huius verò summa gloria, iram vincere, hostemque clementia superare, proprie tua est. Quod si Germaniam in fide continere velis, lenitate, haud quaquam crudelitate opus est.

CLXVIII.

Miserabile vtique fuit spectaculum cùm Victor ille summus, domitor Papæ, Regis potentissimi, tot Principum & Ducum (Oëniponte Villacum PLUS ULTRA tendens) aduersa valetudine, pluuioso ac nimbofo cœlo, per noctem lecticâ vectus, ad tædarum lumen cum Ferdinando fratre & Principum Legatis magna trepidatione discessit: nec non Nobilitas illa victrix (Albanus, Castaldus, Gonzagæ, delicati Neapolitani) incœnata, nocturno tempore, per vias lubricas & propter imbres continuos luto corruptas pedibus incedere, & lapsantibus vbique fere vestigiis inter lixas & calones heris permistos mutua opera se erigere, æquata omnium conditione, fuit coacta.

Profecto

CLXIX.

Profecto verum est quod dedecus & detrimentum sint comites & pedissequæ superbiæ iuxta Ludovici XI. Regis Galliarum diæteriū quod extat apud Cominæum 2. Commentar.

CLXX.

O miseram itaque victoriam Caroli de Ioanne Friderico & Sociis quæ omnium præteritarum victoriarum lucem obnubilarit & futurarum spem omnem præciderit! O infelicem & infortunatam victoriam, vbi victor victoriæ pœnitens victum libere dimiserit & libertati restituerit, victus vero Victorem non tantum in prosperis sed & aduersis rebus sequi maluerit.

CLXXI.

Succedit aliud malum: Diuersa enim parte Rex bellum contra Cæsarem mouens Tullum, Virodunum viribus, Metim vero dolo & fraude in potestatem redigens, Argentoratum etiam affectat, pluraque alia spe iam deuorat:

Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur,

Gallus amicitias utilitate probat.

CLXXII.

Quæ de iure Regum Galliarum in tres istas ciuitates post Bødinum, Chopinum, Botereum & alios Gallos affert Thuanus, ita iamdudum sunt refutata, vt nihil addere sit operæ pretium. Certe nec iure antiquo, neque ex fœdere cum sociis Germaniarum Principibus inito ad Regnum Galliarum pertinuerunt, aut etiamnum pertinent.

CLXXIII.

Nec ista calamitas sola: quam statim exceperunt Turcicæ classis in portu Neapolitano vela & signa volitantia, & Auriæ felicissimi hæctenus Imperatoris infelix cum Turca congressus nauibus Carolinis aliquot interceptis, aliquot etiam depressis, multisque Germanis & Italis in Turcarum seruitutem coniectis.

CLXXIV.

Quid dicam de infelissima Urbis Metensis obsidione, vbi tanto & validissimo quidem exercitu toties repulso, muro etiam tormentorum vi aperto, cum Italarum solertiam, Germanorum virtutem, Hispanorum audaciam desideraret, & stupefactos omnes & tristitia mutos cerneret, retro ad hospitium concessit Carolus, hæc subinde verba ingeminans: Nunc me desertum à meis, nullosque circa me homines inuenio.

CLXXV.

Ex contagione tamen & frigore pluresquam hostica vi periisse verius est:

LI

Necque

Neque etiam aliorum relationibus conuenit quod Thuanus XXX. hominum clo. interiisse scribit.

CLXXVI.

Hoc autem vero verius est:

*Ni Metz, ni Mauriz, ni Mauritania, ni Magd,
Ni Mors, quid multis? fueram per singula felix.*

CLXXVII.

Neque ab hoc tempore subsequencia bella ancipiti plerunque Marte: ante abdicationem Imperij gesta in Subalpina Regione, in Sabaudia, Belgio, Gallia, Italia pristinam famam & gloriam vindicarunt, neq; summus ille prioris authoritatis decor in Germania vnquam potuit recuperari.

CLXXIIX.

Interim Iohannes Fridericus Saxo anno 54. 3. Mart. sub horam decimam ante meridiem, cum ex lectulo concionem audisset, implorata Numinis diuini misericordia, suumque Spiritum Deo commendans, ex hac ærumnosa vita cœlestem in Patriam emigrat, cum Sibillam Clivensem uxorem undecim ante diebus præmisisset, & post semestrem disceptationem cum Augusto Electore, transactione inita, nomen Electoris & insignia, quamdiu ueretur, nec non alia quædam obtinisset: Vir constantiæ & invicti animi etiam ab ipsis hostibus habitus, ad hæc liberalitatis regiæ laudem consecutus, qui post varias vitæ ærumnas & aduersitates, quibus tota vita conflictatus est, tranquillitatis portum in morte tandem inuenit:

Victus eras acie, verum Constantia tete.

Victorem ante homines fecit, & ante DEVM.

CLXXIX.

Quando de eius obitu inaudiuit Carolus, ad Albanum & alios aulicos: sibi astanter dixisse fertur: Hic Princeps Germanus erat pius & constans, ac sine omni dolo.

CLXXX.

Memorable etiam est, quod Philippus Melanchton, audiente Iohanne Sturmio aliisque Viris clarissimis, de hoc Principe Francfurdix aliquando affirmare non dubitauit, eum plura videlicet legendo scribendoque quotidie peragere quam ipsum Philippum & Hieron. Schurfium IC. quos duos in legendo cæteris, qui Witebergæ tum essent, labore antea constans omnium erat opinio.

CLXXXI.

Magnum, si cum alterutro duntaxat Princeps componeretur; Quam
vero

vero illud mirabile, tanti viri diligentiam industriæ duorum, quorum alter diligentissimus, alter doctissimus, vterque studiosissimus fuit habitus anteponi?

CLXXXII.

Tandem Carolus cesso Belgii totius dominatu, nec non Regno Neapolitano & Ducatu Mediolanensi, filioque spe Regni Anglicani frustrata tamen aucto, cum anno 56. prid. Non. Mart. ingens & lucidum sidus sinuoso flexu flammiferum crinem trahens in octavo Libræ gradu per aliquot dies continuos exarsisset, mortem sibi portendi ratus Imperii onus Electoribus resignat, & Sudeburgo Mattiacorum soluens in Hispaniam traicit; vbi quamprimum terram tetigit, prostratus osculum fixisse, & Salve, dixisse scribitur, mihi optatissima mater, nudus ex utero matris exiui, nudus ad Te tanquam alteram matrem redeo, & quod vnum possum, pro tam multis in me meritis corporosculum hoc & ossa mea do dedicoque.

CLXXXIII.

Abdicatione deinde Regnorum Hispaniæ ritu sollemni facta Regem esse iussit ac hæredem suum instituit Philippum filium, & in cœnobium Hieronymiani sodaliti in Lusitaniæ finibus situm nullo satellitio stipatus, præterquam XII. ministris & vno equo, quo propter imbecillitatē vehebatur, contentus se contulit, ac Iohannem Fridericum Saxonem procul dubio imitatus residuum vitæ in sacrarum literarum iugi & assidua lectione consumpsit.

CLXXXIV.

Diligenti sacrosanctæ scripturæ lectioni etiam B. Bernhaldi opera adiunxit, iisque se mirifice oblectavit: Nec dubium est quin ex iisdem succum iustificantis fidei hauserit, vel potius quæ ex Augustana Confessione dedicerat, inde confirmata serio sibi applicarit.

CLXXXV.

Pontificum dolos in libero & pio concilio cogendo mala fide secum agentium, præsertim vero Necromantici & Sodomitæ Pauli III. fidem sublestâ & imposturas sæpius post hæc tempora non tantum incusavit, sed & deploravit, & tandem cum Romanam aulam eiusque mores iam agnosceret, miserum Ecclesiæ statum Deo frequenter precibus commendavit his verbis: In manus tuas Domine commendo Ecclesiam tuam.

CLXXXVI.

Nullum est dubium, si diutius fuisset in viuis, quin idem quod Ludovic. XII. fuisset dicturus: PERDAM BABYLONEM. Fortassis etiam facturus.

CLXXXVII.

A neutra parte se gratiã inijsse, tandē vidit & serio conquestus. Quod si Pōtifi-
ci ROMANO eiusq; affeclis morē gerere voluissē, tota Germania (dixit) arcibus

IL 2

& castel-

& castellis fuisset priuanda. atque in seruitutem redigenda. Nolo vastari Germaniam (respondit iisdem) quæ mihi & Patria est, & Imperii decus tribuit.

CLXXXVIII.

Quin doctrinæ Catholicæ de bonorum operum & proprii meriti fiducia valedixerit, nullum est dubium, idq; etiam Catholicorum Historici quamplures adeo haud diffitentur, vt potius affirmant.

CLXXXIX.

Ex B. Bernharo sæpius fari auditus fuit, se quidem indignum esse, qui propriis meritis regnum cælorum obtineret, sed Dominum Deum suum, qui duplici iure illud obtineat, & patris hereditate & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cuius dono illud sibi merito vindicet, hacque fiducia fretus minime confundatur: neque enim oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ poni: hanc hominis fiduciam esse à se deficientis & innitentis domino suo: alioqui propriis meritis fidere, non fidei, sed perfidiæ esse: peccata remitti per Dei indulgentiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non posse, nisi ab eo cui soli peccauimus, & in quem peccatum non cadit, per quem solum peccata nobis condonantur.

CXC.

Huiusmodi Confessio cum neque apud Bellarminum, neque apud Baronium, neque apud Gregorium de Valentia, neque Maldonatum aut alios Catholicos inueniatur, quo iure amplius Carolus nostrum in Romano Catholica fide permansisse nobis persuadebunt?

CXCI.

In vitæ suæ Epithasi sacro monitore vsus fuit non Ignatianò quodam discipulo sed viro probò & in sacris exercitato Constantino Pontio Hispano puriori Religioni addicto, qui ei etiam à sacris confessionibus fuit, & postea sub Rege Philippo Caroli filio anno 59. cum Garsia Aria, Ioanne Ægidio, aliisque magni nominis Hispanis & Castellanis tam maribus quam fœminis, nec non discipulis aliquot suis Hispali singularis constantiæ exemplum præbuit & martyrii coronam fortiter reportauit, toti nimium mundo stupendum in modum patefaciens in qua fide Carolus tandem obierit.

CXCI.

Sunt qui referunt cum hoc Constantino constantiæ singularis exemplo, cum ille in tetro carcere miserabili modo animam exhalasset & cadauer nihilominus extractum tragico modo combureretur, etiam insignia quædam scripta, quibus omnes pontificii errores refutati & purior doctrina asserta fuisset, Vulcano Executores tradidisse.

Cum

CXCIII.

Cum anno 58. Cometa circa Eid. Vitil. sub vesperam sub coma Berenices appareret, cauda ad Hispaniam directa, qui paulatim ad ortum vergens Non. VIIbr. evanuit, ad lentam tabem febris acuta accedente, Carolus noster gloriosissimus XI. Kalend. VIIIbr. morti vicinum se sentiens, spem omnem in CHRISTO SALVATORE collocat, sumtoque viatico, praesente suo, quem diximus, Constantino, In me mane, inquit, dulcissime Saluator, ut ego in TE maneam. In qua verba deficiens animam DEO, qui dederat illam, reddidit.

CXCIV.

Ita Heros ille qui toto vitae suae curriculo Pontificio dogmati asserendo & defendendo sese addixerat, tandem Papam, mundum, seq; ipsum vincens, in tali Confessione quae Orthodoxum decet & christianum, ad caelestem Patriam beatissime transmigravit.

CXC V.

Certe in hoc Principe cum Virtute certavit fortuna, ut illius meritis supremum felicitatis fastigium imponeret. Et sicuti ipse reliquos omnes Germaniae Caesares inde à Carolo Magno potentia vicit, ita quoque propter ea, quae in ipsius aetatem atque gubernationem inciderunt, maximae conspicuus est ac memorabilis, ut iure meritis sit Eulogium:

*Carole mortales dubitant, homo sisne, Deusve,
Sunt tua scepra hominis, sed tua facta DEI.*

CXC VI.

Tumulum Caroli V. ex Hippolyto Capilupo notare conueniens est:

*Europa domuit, tollentes cornua Reges,
Carolus, atq; Asiae terror, & horror erat.
Et pedibus Libyam calcavit, victor & illi
Immunitas victus praebuit Indus opes.
Deinde sibi frenum iniicit, Fratriq; regendum
Imperium, & Nato caetera regna dedit,
Atq; ait, à nobis & honores temnere, & unum hoc
Discite mortales, puluis & umbra sumus.*

CXC VII.

Sub praepotente hoc Monarcha voluit D. T. O. M. Ecclesiae suae reformationem fieri, ut omnes faterentur suum hoc esse opus, nec humanis viribus sed Deo duce & auspice Ecclesiam defendi.

CXCIIIX.

Faceſſant nunc qui à clade Saxonica Fœderis Smalcaldici & belli Saxo-
nici iniuſtitiã deriuant: Quin potius clades iſta Saxonica & contraria victoria
Saxonica & clade Carolina ita fuit penſatata, vt neutra pars inueniret in quo
gloriarı poſſet, ſed ſoli Deo vtrınque gloriam relinquere cogerentur.

CXCIX.

Vt victoria Saxonica ipſi Iohanni Friderico primum, ita poſtea etiam
Carolo fuit experimentum & documentum ſingulare. Bella ſunt commu-
nes pœnæ vtriuſque partis inquit Eras. Roterod. in lib. de Bello.

CC.

Familıare nimirum Deo eſt etiam ex malis bona elicere, & reperta ad
perniciem vertere ad ſalutem, dicente Auguſtino.

CCI.

Et hæc quidem hætenus pro celebri iſthoc fœdere Smalcaldico & Prin-
cipum ſociorum iure ac deſenſione ſolò veritatis ſtudio in medium proferre
voluimus. Deus noſter qui fœdera eorumque auſpicia & exitus, nec non Re-
gum & Principum corda in manu ſua habet, qui in medio etiam Victoriarum
curſu Eccleſiam ſuam mirabiliter hætenus protexit & vſque ad mundi finem
protecturus eſt, reſpiciat nos etiam oculis ſuæ magnæ miſericordiæ, afflictiffi-
mis hiſce temporibus, nec ob ingratitudeſ & impietateſ noſtram
præterito iam ſeculo & Centenario reductam Euan-
gelii lucem cum exodio illius diminui aut in-
terire patiatur.

F I N I S.



xo-
oria
quo

iam
nu-

a ad

rin-
erre
Re-
rum-
nem
iffi-
n



QK. C 2106

nc



ULB Halle
004 778 43X

3



f

VD 17





OK. 21,7.
6-21,7.

BE
ZIE
BRAND

Discurs


PRO CELEBR
dico, & princi

Eadem agitur in



FRANCO
Typis Wecheliani
brios, &

Vc
2106



AL-

Au-

1534.

